

1.9.10

*Idem AA. Eutychiano pp.*

Quicumque ex Iudaeis obnoxii curiae comprobantur, curiae mancipentur.

*D. III k. Ian. Theodoro cons.*

[a. 390]

1.9.11

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Anthemio pp.*

Iudaeos quodam festivitatis suae sollempnia ad poenae quondam recordationem incendere et sanctae crucis adsimulatam speciem in contemptu Christianae fidei sacrilega mente exurere provinciarum rectores prohibeant, ne locis suis fidei nostrae signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum Christianae legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperaverint.

*D. IIII k. Iun. Constantinopoli Basso et Philippo cons.*

[a. 408]

1.9.12

*Idem AA. Iovio pp.*

Caelicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit, ii, nisi ad dei cultum venerationemque Christianam conversi fuerint, his legibus, quibus praecipimus haereticos adstringi, se quoque noverint attinendos.

1 ¶ Aedificia autem eorum, quae nescio cuius dogmatis novi conventus habent, ecclesiis vindicentur. certum est enim, quidquid a fide Christianorum discrepat, legi Christianae esse contrarium.

*D. k. April. Ravenna Honorio VIII et Theodosio III AA. cons.*

[a. 409]

1.9.13

*Idem AA. Iohanni pp.*

Die sabbato ac reliquis sub tempore, quo Iudaei cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere praecipimus (ita tamen, ut nec illis detur licentia eodem die Christianos orthodoxos convenire, ne Christiani forte ex interpellatione Iudaeorum ab officialibus praefatis diebus aliquam sustineant molestiam), cum fiscalibus commodis et litigiis privatorum constat reliquos dies posse sufficere.

*D. VII k. Aug. Ravennae Honorio VIII et Theodosio V AA. cons.*

[a. 412]